

Christian Woldenberg Matthäus Schlüter


Disputatio Inauguralis De Successione Extraordinaria

Rostochii: Kilius, 1673


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn749371099>


Druck Freier  Zugang





N. K. — 2 (48.)





DISPUTATIO INAUGURALIS

De

SUCCESSIONE EXTRAORDINARIA.

Quam,

Ope Divini Numinis,

Auctoritate & consensu

Magnificæ & Amplissimæ Facultatis Juridicæ,
in Illustri Academiâ Rostochiensi,

PRÆSIDE

VIRO

Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo &
Excellentissimo

DN. CHRISTIANO VVOLDEN-
BERGIO, Jcto famigeratissimo, Decretal.

P.P. in hac Academiâ meritissimo, h. t. Decano
spectatissimo, Consistorii Provinc. Adfessore gravissimo,
& Comite Palatino Cæsareo.

Domino & Fautore suo pl. venerando,
PRO LICENTIA

Consequendi summum in utroque Jure gradum, publico
eruditorum Examini

In Auditorio Majori, ad diem III. Aprilis,
Anno M. DC. LXXIII.

ante, & post meridiem submittit

MATTHÆUS SLUTERUS, Hamb.

ROSTOCHII,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr.

11, 307,
20 - f. 10

43



Celsissimo

PRINCIPI AC DOMINO

DN. CAROLO,

Meklenburgici Ducatus Heredi illust-
rissimo, Vandalorum, Sverini & Raceburgi
Principi, Comiti Sverinensi, terrarum Rostochii &
Stargardiæ Domino,

Heroicis REGUM atque DUCUM, à qui-
bus ortus est, virtutibus felicissimè nunc
succrescenti,

Domino suo Clementissimo,

*ea, quæ factæ, devotione,
quicquid id est,
consecrat*

servus subjectissimus

Matthæus Slüterus.

I. N. J.

L. B.



Habes hic prima successione extraordinaria capita. Pluribus eam nunc exponere prohibet statutum hujus Academia, quippe quod excedere id, quod vides, spatii non permittit. Sed & posteriora tantummodo tradidisse satis est nonnunquam. Veniam igitur, spero, largieris hæc talia molienti. Idque eò magis, quod magnam partem duce destituor. Promisit quidem Bartholomæus Musculus in suo tract. de success. conventionali, & anomala, materiam integram: verum conventionalis tantum successio, quod ego quidem sciam, lucem adhuc videt. De cætero, ut vel sub initium ne lateat propositi ratio; Extraordinariam successione voco eam, quæ à communi successione recedens per singulares leges civiles, canonicas, vel consuetudinarias, & certa pacta vel inter universos, vel singulos obtinet. Ordinem Dissertationis dabit præsens tabula.

Successio extraordinaria alia est

Legalis, hæc

Universitatis

Publicæ

Ecclesiasticæ, ut: Ecclesia, Sect. I. Cænobii, II.

Civilis, ut: Reipublica, III. Fiscus, IV.

Privatæ, ut: privatorum Corporum, aut Collegiorum, V.

Certarum personarum, ut: Primogenitorum, VI.

Dominorum qui habent homines proprios, VII.

Peregrinorum, VIII. Judeorum, IX.

Conventionalis, ubi

in genere, De pacto circa futuram successione, X.

in specie, De successione conjugum è pactis dotalibus, XI.

De Unione prolium, XII.

De hereditatis renuntiatione filiarum, XIII.

De pacto Confraternitatis illustrium familiarum, XIV.

Sectio I.

De Successione Ecclesiæ

Thes. I.

Succedit Ecclesia (sicuti de aliis quoque successoribus constat) vel ex testamento, vel ab intestato, arg. tit. X. de testament. & X. de success. ab intest.

II. Ex testamento succedit, non solum, quando ipsa, sed etiam quando alius ejus nomine institutus est: puta **JESUS CRHISTUS, ARCHANGELUS**

aliquis

aliquis, vel MARTYR, l. ult. C. de SS. Eccles. Nov. 131. c. 9. V. Joach, Stephani,
Inst. J. Canon. lib. 2. cap. 12. n. 1. Struv. Exerc. 35. th. 4.

III. Si in genere Ecclesie legatum est, parochiali relicto intelligitur, in
qua testator olim sacramenta percepit, d. l. ult. pr. & §. 2. C. de SS. Eccles.

IV. Succedit Ecclesia, si valet legatum ad pias causas, etiam si nulli te-
stes adhibiti voluntati per scripturam testantis, arg. c. 4. X. de testam. Vid. Ti-
raquell. de privileg. pia causa. priv. 4. Struv. Exerc. 32. th. 23. Nec obstat c. re-
latum. II. X. de testam. nam hoc cap. de casu, quo alias de voluntate testatoris
non liquidò constat, intelligendum est. Dissidentes videas ap. Struv. loc. cit.
in quibus est Carpzov. jurispr. for. p. 3. c. 4. d. 33.

V. Nec minus valet legatum ad pias causas [veluti alias quoque non est
nullum testamentum] si moribundus blanditiis ad testandum inductus est, Lult.
ff. & C. si quis aliquem testar. prob. Carpzov. jurispr. Consist. lib. 2. t. 20. d. 32.
Struv. Exerc. 33. th. 8.

VI. Ecclesia succedit in integra legata, absque detractioe Falcidie, aut h.
similiter. C. ad L. Falcid. N. 131. c. 12. Tiraquell. de privileg. pia causa. priv. 26.
Carpzov. J. F. p. 3. c. 4. d. 16. 17. 18. quemadmodum etiam absque detractioe
Trebellianicæ fideicommissa piæ causæ relicta præstanda esse probat, arg. d. N.
131. c. 12. cum Zæf. Struv. Exerc. 36. th. 33. n. 4. Add. Tiraquell. priv. 27. qui con-
trariam multis probat auctoritatibus.

VII. Verbo: tam favorable esse testamentum ad pias causas statuunt
juris interpretes, ut huic solum (& testamento inter liberos, non item aliis)
clausula codicillaris, & hac formula: *omni meliori modo*, si non adsit, adjecta
esse subintelligatur, teste Anton. Fabr. Cod. l. 6. t. 5. def. 7. qui tamen credit,
hanc opinionem interpretum traditionibus potius, quam juris rationi ortum de-
bere. Plura in hac materie vid. ap. Andr. Tiraquell. d. Tract. de privil. pia causa.

VIII. *Ab intestato* succedit Ecclesia (1.) in bona clericorum, compa-
rata ex bonis Ecclesie, & respectu ejusdem, arg. c. 1. X. de testament. quia
planè de his testari non possunt Clerici, c. cum in officio. 7. X. eod. Gregor.
Tholos. pari. Jur. Canon. lib. 2. t. 43. Arn. Corvin. Jur. Can. lib. 2. t. 43.
non excipiuntur fructus ex bonis Ecclesiasticis percepti: imò ineptè hac de re
controversia movetur, quia hi ipsi sunt in bonis, & maximam sæpè partem eo-
rum exhauriunt, quæ clericus intuitu Ecclesie congerit. Vid. Gregor. Tholos.
loc. cit. lit. E. faciunt huc quæ tradit Carpzov. Jur. Consist. l. 1. t. 7. d. 101. de li-
gno quod Psarholz vocatur. Hodie excipiuntur, quæ in salarium computantur,
quippè quæ non solum percepta ad heredes defuncti transmittuntur; sed etiam, si
nondum soluta sunt tempore mortis, ab heredibus rectè exiguntur. Vid. Carpzov.
J. Consist. lib. 1. t. 11. d. 171. Joach. Steph. Inst. J. Canon. l. 2. cap. 13. At verò ser-
vanda hac in re cujusque loci consuetudines. (2.) succedit Ecclesia etiam in ea-
dem Clericorum bona, quæ non intuitu Ecclesie, sed aliunde, acquisita sunt, eò ta-
men casu solum, si nulli clerico defuncto cognati existant c. fin. c. 12. qu. 5. Arn.
Corv.

aspils

Corv. l. dicit. nostræ tamen Ecclesiæ non succedunt hoc casu: sed Pastore, vel ministro Ecclesiæ absque heredibus defuncto, hereditas cedit fisco Principis, cui Episcopale jus competit; vel si bona sunt immobilia, ei, in cuius territorio sita sunt, adquiruntur, Carpov. *J. Confess. lib. 3. t. 1. d. 9. [3.]* succedit Ecclesia in quartam omnium clerici bonorum, si hæc ita sunt confusa, ut patrimonialia ab Ecclesiasticis dignosci non possint, *arg. c. sancto. X. de success. ab intest. Arn. Corvin. J. Can. lib. 2. t. 43. Joach. Steph. Inst. J. Can. lib. 2. cap. 13. n. 1.*

IX. Ex jam dictis facile colligas, non succedere Ecclesiam [1.] in bona clerici non respectu Ecclesiæ adquisita, si de his alius institutus est; liberè enim de iis testari licet Clerico, *c. quia 9. X. d. testam. Gregor. Tholos. part. J. Can. lib. 1. t. 26. cap. 5. (2)* neque ab intestato in hujus generis bona succedere, si defunctus propinquiores post sese relinquat heredes. *arg. d. c. fin. 12. q. 5.*

X. In specie tamen notandum, etiam non succedere Ecclesiam in fideicommissum universale piæ causæ relictum; si fiducarius heres, post mortem suam hereditatem restituere rogatus, liberos [quos vivente testatore patre vel avo nondum habuit] moriens relinquat: ratio est, quia, cum pater filium, vel avus nepotem rogat, ut post mortem restituat hereditatem, tacita conditio: *si sine liberis moriatur*, ex conjecturâ pietatis subesse intelligitur, *l. 30. C. de fideic. l. sum avus. 102. ff. de cond. & demonstr. &* hanc rationem obtinere quoq; in fideicommissò piæ causæ relicto, probat per *c. f. 17. qu. fin. Dn. Struv. Exerc. 36. th. 24. fin.*

Sect. II.

De successione Cœnobii.

Thef. I.

Cœnobium acquirit omnia Monachi bona: quia ingressus Monasterium se, & sua illi dedicat, *c. quia ingredientibus. 7. caus. 19. qu. 3. auth. ingressi. C. de SS. Eccles.*

II. Non intelligenda hæc sunt de præsentibus solum bonis; sed etiam de futuris, nihil enim proprii retinere potest monachus, sed omnia cum cœnobio communicat, *c. non dicatis 11. caus. 12. qu. 1. Nov. s. c. 5. Hartm. Pistor. Obs. 29. n. 10.*

III. Hinc sequitur monasteria etiam succedere in hereditatem Monachis delatam, sive ab intestato, nam etiam legitima Monachis debetur, *l. DEO nobis. 56. §. hoc etiam 1. C. de Episc. & Cler. de Dominicanis in specie legitimæ capacibus vid. Anton. Fab. Cod. lib. 1. t. 3. d. 2. n. 8. sive ex Testamento, Vid. Hartm. Pistor. lib. 4. qu. 8. n. 2. Sim. Pistor. consil. 9. n. 7. Anton. Fab. d. 1. 3. d. 30. n. 4. Add. Tiraquell. de privileg. piæ causæ priv. 29. 30. Excipitur tamen Ordo S. Francisci, quippè qui planè capere ex testamento nihil potest, teste Anton. Fabr. d. t. 3. d. 31. Conf. Gail. lib. 2. obs. 122. n. ult.*

IV. Sed quæ th. I. monui, obtinent solum, si de rebus suis non disposuit Monachus ante ingressum, *d. N. s. c. 5. Gregor. Tholos. partit. J. Can. l. 1. s. 23. cap. 6. lit. E. Add. omninò Bachov. ad Trent. vol. 2. disp. 10. th. 2. lit. D. qui tamen*

d. Nov. s. e. s. de ejusmodi dispositione accipit, per quam statim rerum dominia in alium transferuntur, testamentum ante ingressum factum per ipsum ingressum rumpicredens. Verum mihi videtur non excludi posse dispositio, quae fit per ultimam voluntatem; quia (1.) verba textus: *quo voluerit modo*, nimis generalia sunt, (2.) dispositio ea, quam loquitur Bachovius ita concessa cuilibet Domino est, ut non opus sit, eam hic quasi singulare beneficium permitti: nam abs se constat, ingressurum monasterium (uti quemvis alium, cui alienandi facultas concessa) si semel transtulerit rerum Dominium in alium, non habere potestatem illud revocandi, (3.) consentit nobiscum. *auth. nunc autem. C. de Episc. & Cler.* his verbis expressis: *Si prius testatus non sit*. Non obstant (α) dictae *N. s. e. s.* vocabula: *non erit Dominus earum ulterius ullo modo*. Haec enim intelligenda sunt de iis rebus, de quibus ante ingressum non est dispositum: id quod, haut obscure colligas ex ipso textu. Nec (β) ullâ ratione nititur praesumptio Bachovii, quam l. cit. sub fin. addit. *cum votum monasticum*, inquit, *fit perpetuum, ingressurus potius statim bona sua translaturus, quam in tempus mortis heredem instituturus praesumitur*. Ego contrarium magis convenire cum naturâ humanâ arbitror: quem enim latet, naturam hominum (sicuti aliarum quoque rerum) libertatem praeferre vinculis? jam qui testatur, nullo modo obstringitur, potest enim, si voluerit, stilum vertere; id quod ei, qui statim dominium transfert, non licet. At regefferit Bachovius, sermonem esse sibi de Monachis, quippe quorum animus nimis laxam libertatem fugere videatur; idque per Regulam, quam ingredientibus Monasterium suscipiant; Resp. Regula haec vitae integritatem respicit principaliter; pecuniam verò [si eximas Mendicantes] tantum secundario. Quid quod Monasterium ingressurus Monasterium amare praesumitur: quis autem non videt, eum, qui ita de rebus suis disponit, ut spem aliquam illas adquirendi relinquat Monasterio, plus diligere Monasterium, quam illum, qui res suas alienando spem omnem coenobio adimit?

V. Potest tamen Monachus etiam post susceptam regulam, sed inter liberos, testari de substantiâ suâ: modò partem legitimam sibi retineat, quam habeat Monasterium, *d. auth. si qua mulier. C. de SS. Eccles. N. 123. c. 38.*

VI. Intestatus moriens Monachus, qui habet liberos, omnes facultates relinquit coenobio, (non jure hereditario, sed cujusdam acquisitionis, v. Dion. Goth. add. *auth. si qua mulier.*) praecipientibus tamen legitimam filiis, *auth. ead. uxoris quoque, & creditorum jure salvo, auth. Nunc autem. C. de Episc. & Cler. N. s. e. s.* Gregor. Tholof. *partit. J. Canon. lib. 1. t. 23. c. 6. lit. E.*

VII. Non succedit coenobium per Monachum in feudum ab intestato, quia Monachus ipse excluditur à successione, 2. F. 21. § 30. Rosenthal. *J. Feud. cap. 7. concl. 29. n. 1. seqq.* Struv. *S. J. Feud. cap. 9. aph. 9.* idque ita capiendum, ut ne ad vitam quae Monachi feudum habere possit monasterium, vid. Rosenthal. *d. concl. 29. n. II.* Ex testamento tamen sive à vasallo, sive à Domino quodam composito utique succedere in feudum potest monasterium; si feudum ejus conditionis est,

ut

ut per ultimam voluntatem deferri queat, per ea quae differit Rosenth. *cap. 3. concl. 4. §. c. 7. concl. 2. n. 3.* Add. Struv. *S. J. Feud. c. 5. aph. ult. n. 3. c. 7. aph. 3.*

VIII. Caeterum in toto hoc argumento statutis, & consuetudini cujusque loci inhærendum esse puto. De Sabaudia consuetudine vid. Anton. Fab. *Cod. lib. 1. t. 3. d. 30.* in Gallia Religioso ab intestato proximos succedere testatur ex Rebuffo Dion. Gothofr. *ad auth. si qua mulier. C. de SS. Eccles.* idem servatur in Abbacia Lindaviensi continente duodecim foeminas nobiles, & Abbatissam. vid. Joh. Limn. *de J. P. tom. 4. ad lib. 4. cap. 7. p. 519. fin.* In primis verò Monialium coenobia Augustanae confessioni dedita, magnam partem, etiam circa successio- nem hanc, renunciaſſe ſcio legibus Pontificiorum.

IX. Ob adſuitatem materiae inſpergi quaedam poterant, de orphanotrophiorum, Xenodochiorum, brephotrophiorum, ptochotrophiorum, & simili- um conventuum (de quibus *tit. C. de Episcop. & Cler. vid. Carpz. jurispr. consist. l. 2. tit. 21. d. 330.*) ſucceſſione: Verum cum de his partim ex jam dictis (cum primis quia hujusmodi collegia in multis conferuntur cum Eccleſiis; Carpz. *J. Consist. lib. 1. tit. 6. d. 92. n. 1. ſeqq.*) judicium fieri poſſit, partim pauca notatū digna occurrant; lubens hæc talia prætermitto. De hoſpitalibus, quod ea cum piis locis componantur, vid. omninò Anton. Gabrieliuſ. *Roman. Synt. Comm. opin. tom. 3. lib. 6. concl. 2.*

Sect. III.

De ſucceſſione Reipublicæ;

Theſ. I.

Rеспублика, quamvis olim heres inſtitui non potuerit, teſte Plinio *l. 5. epiſt. 7. pr.* hodiè tamen poteſt, *l. 12. C. de hered. inſtit. l. un. §. 1. d. liberè univerſ.*

II. Nec ſolum rectè heres inſtituitur, ſed etiam legatum ei relinquitur, *d. l. 12. C. de her. inſtit. l. 73. §. 1. l. 117. l. 122. pr. de legat. 1.*

III. Si igitur legatum aliquid Reipublicæ eſt, non ſinguli, ſed tota uni- verſitas ſuccedit, arg. *l. cum Senatus 20. de reb. dub. l. 7. §. 1. quod cujuſcunque uni- verſ.* Struv. *Exerc. 35. tb. 4.* quia aliud univerſitas, aliud ſinguli de univerſitate, vid. Carpzov. *J. F. p. 1. c. 16. d. 65. n. 3.* Dan. Otto *de J. publ. c. 21.* imò etiam ſi parti Reipublicæ legatum eſt, quod ad totius civitatis compendium ſpectat, nihilomi- nus totam Rempublicam capere legatum; arg. *l. ſi quis 32. §. ult. de legat. 1.* ſta- tuit Dion. Gothofred. *ad h. l.*

IV. Reipublicæ relicto legatum annuum in perpetuum præſtandum eſt, *l. annuam. 6. de ann. leg. Struv. Exerc. 35. tb. 29.* quia enim univerſitas non mo- ritur, *l. 56. ff. de uſufr.* vid. Carpzov. *Reſp. l. 2. t. 5. r. 65. n. u.* Dan. Otto *d. cap. 21.* non videtur quicquam pertinere ad Remp *lex. 4. de annuis leg.* quippè per quam ſingulis legatum annuum datum tamdiu præſtandum, quamdiu vivit legatarius. Nec obſtat *d. l. 56. ff. de uſufr.* ubi centum annos vivere Reſpublica fingitur; ſit enim hoc ipſum tantummodò ob naturam uſuſfructus, qui non poteſt eſſe

perpetuus, §. 1. f. *Inst. de usufr.* hinc Dion. Gothofr. *ad d. l. 4. de ann. leg. usufructum annuum Reip. legatum tantum centum annos durare putat, per l. 8. de usu, & usufr. leg.* idem sentit Bartolus hic, quem vide sis.

V. Legatum Reip. datum valet nonnunquam, etiam si non in omnibus impleat civitas conditionem à testatore adjectam, per *l. 16. de usu & usufr. leg. vid. Struv. Exerc. 35. th. 38. Non obst. l. 1. & 4. ff. de admin. rer. ad civ. peri.*

VI. Civitates Imperiales, & alia Republica libera, quia jure fisci gaudent, succedunt in bona vacantia, *Mev. ad J. Lub. p. 2. t. 2. art. 14. n. 55. Struv. Exerc. 50. th. 33. civitates autem provinciales non succedunt in hujusmodi bona, Cothmann. vol. 2. consil. 55. n. 24. Mev. d. l. n. 57. seqq. nisi & hæc jus fisci adeptæ sint ex privilegio, aut consuetudine immemoriali, Mev. loc. cit. n. 62. Struv. d. Exerc. 50. th. 33. Add. Georg. Schulz Synops. Inst. lib. 3. t. 5. p. m. 286. lit. c. Anton. Fab. Cod. lib. 9. t. 27. d. 5. Non obst. l. 1. C. de bon. vac. lib. 10.*

VII. Non succedere tenetur Respublica, vel potius hereditatem retinere non cogitur, si damnosam adiit: potest enim ad instar minorum in integrum restitui, *l. respublica C. ex quibus caus. maj. Struv. Exerc. 8. th. 61. Arn. Corvin. J. Can. l. 3. t. 40. aph. 3. Joach. Schnobel. ad ff. disp. 4. th. 12.*

Sect. IV.

De successione Fisci,

Th. I.

Fiscum heredem institui, & legatum capere ex testamento posse, non dubitatur; est enim cum eo testamenti factio. *arg. l. 25. §. 2. ff. de acqu. vel om. hered. §. 4. Instit. de hered. qual. & differ. l. 49. §. 1. ff. de her. instit. vid. Struv. Exerc. 33. th. 2. Just. Mejer. Colleg. Arg. de hered. inst. th. 3.*

II. Succedit tamen fiscus etiam ab intestato, omnibus aliis deficientibus, *l. 1. 4. C. de bon. vacant. vid. Colleg. Arg. l. 38. tit. 13. th. 3. Struv. Exerc. 38. th. 42. quamvis autem credam cum Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 16. th. 1. lit. F. & alii successorem fisci minus rectè referri inter ordines succedendi ab intestato, idque per l. 1. §. 1. ff. si tabb. test. nulla exst. l. 1. pr. ff. quis ordo in poss. serv. ubi enarrantur ordines succedendi, nulla verò fisci mentio est: nihilo tamen minus dicitur succedere fiscus ab intestato l. 13. C. de testam. mil. l. 15. ff. de interd. & releg. vid. Colleg. Arg. d. th. 3. Bachov. l. cit. ita ut haut ineptè forsan vocaveris fiscum, successorem ultimum, vel subsidialem.*

III. Præferuntur fisco non solum cognati, sed etiam conjuges, *l. un. ff. & C. unde vir & uxor. Struv. Exerc. 37. th. 80. Carpzov. jurispr. for p. 3 c. 18. d. 31. Mev. ad I. Lub. part. 2. tit. 2. art. 14. n. 28. ubi id communiter extendi ad sponsum & sponsam adserit n. seq. imò excludunt fiscum collegia quædam & item alii ex singulari privilegio, de quibus vid. Just. Mejer. Colleg. Arg. lib. 38. tit. 12. th. 3. Georg. Schulz Synops. instit. lib. 3. t. 5. p. m. 280. f. Sect. seq. th. 3. huj. Dissertat.*

IV. Interdum fiscus vel ipsis cognatis præfertur, puta, si isti incapaces sint

sine, vel indigni; qui quales sint, vid. ap. Struv. Exerc. 33. tb. 3. Exerc. 35. tb. 94.
Georg. Schulken d. t. 5. p. 281. fin. seqq. Bachov. vol. 2. Disp. II. tb. 2. G.

V. Non succedit fiscus, (1.) si spes est legitimi successoris, Joh. Arn. Corvin. Enchin: instit. lib. 3. t. 1. p. 210. fin. Georg. Schulken d. t. 5. p. m. 279. pr. (2.) non succedit, si intra quadriennium, [computandum à die quò certum esse cœpit, neque heredem, neque bonorum possessorem extare] haut agnoscat hereditatem, l. 1. §. Divus Pius. 2. ff. de jure fisci. l. 1. G. de quadr. præscript: sic enim possessor quadriennii præscriptionem fisco potest opponere, l. 6. §. 7. ff. si quis om. caus. testam. modò fisco nondum nunciata sint bona: nam si jam nunciata, præscriptio non habet locum, l. quamvis 18. ff. de usurp. & usucap. §. nec fisci. 9. inst. de usucap. Struv. Exerc. 43. tb. 10. [3.] non succedit fiscus in feudum vassallo sine legitimo herede defuncto, sed Dominus feudi, c. un. vers. et si clientulus l. F. 13. Georg. Schulken Synopsis instit. lib. 3. t. 5. p. m. 285. fin.

VI. Quod si verò succedit fiscus; eo jure utitur, quo is, cui successit, uti debebat, l. non intelligitur 3. §. 7. ff. de jure fisci. Hinc creditoribus defuncti ex hereditate facit satis, l. 11. l. 17. ff. eod. Struv. Exerc. 38. tb. 42. Bachov. vol. 2. disp. 16. tb. 1. F. præterea legata & fideicommissa præstat, l. dicitur 14. ff. de jure fisci l. filius familias 14. §. 2. de legat. 1. Ultra vires tamen hereditatis non tenetur; licet non confecerit inventarium, vid. Mev. ad l. Lub. part. 2. t. 2. art. 14. n. 85. Si vendiderit hereditatem planè non tenetur creditoribus hereditariis, sed emptor, l. 1. C. de hered. vel act. vend. licet alii successores vendentes utique respondere iis debeant, l. 2. C. eod. Struv. Exerc. 50. tb. 37.

Sect. V.

De successione privatorum corporum aut collegiorum.

Thes. I.

Collegia licita heredes institui, & ex testamento succedere & universaliter, & singulariter possunt, l. 8. C. de hered. instit. Donell. Enucl. lib. 8. c. 6. lit. c. Struv. Exerc. 35. tb. 4.

II. Sicuti annuum legatum Reipublicæ [vid. Sect. 3. hujus dissert.] ita etiam collegiis relictum in perpetuum præstandum est, teste Struv. Exerc. 35. tb. 29.

III. Membris collegiorum s. corporum licitorum sine herede legitimo mortuis, succedunt collegia quædam, excluso fisco: dico quædam, quia hæc ea solum collegia attinent, quæ hoc privilegio in specie ornata sunt, qualia collegia & corpora sunt Decurionum, Cohortaliū, Militum, & Fabricensium, l. 1. C. de hered. Decur. Nam ad alia collegia hæc minimè extendenda esse; ideoq; Doctori in Academiâ absque herede defuncto non collegium Doctorum, sed solum Academiæ succedere autumat Georg. Schulken Synopsis instit. lib. 3. t. 5. p. m. 281.

IV. Illicita collegia neque ab intestato, neque ex testamento heredes esse possunt, l. 8. C. de hered. inst. Dion. Gothofr. h. Just. Mejer. Colleg. Argent. l. 38. t. 12. tb. 3. pr.

V. Omni-

V. Omnibus collegiatis, præter unum, defunctis, unus ille de bonis collegii [modò ejusmodi bona fuerint, quæ collegium non ex mandato superioris administravit, sed propter suum usum habuit] testari potest: cum in unoquoque stet nomen universitatis, l. 7. §. ult: quod. cujusc. univers. nom. Carpzov. I. F. p. 2. const. 6. d. 17. n. 5.

VI. Dissoluto per mortem collegio, ita ut nullus superfit, bona ejus Magistratui superiori cedunt, Carpz. d. def. 17. Mev. ad Jus Lub. l. 4. t. 13. art. 3. n. ult. Sect. VI.

De successione primogenitorum.

Thes. I.

ANte omnia hic tenendum, primogenitum esse eum, qui primus omnium, vel etiam solus nascitur, c. Ioseph. §. X. de V. S. Tiraquell. de I. primogen. qu. 1. & sive ante, sive post dignitatem à patre susceptam natus sit, perinde est. vid. Tiraquell. de I. primogen. qu. 3. n. 27. seq. Otto I. Publ. c. 17. Bachov. v. 1. disp. 19. th. 16. lit. A. loco primogeniti tamen etiam ille est, qui natù maximo deficienti proximè succedit, qualis est filius primogeniti, & hoc non exstante, fratres ejusdem primogeniti, quo quisque ordine præcedit, & solent hi vocari primogeniti juris; ad differentiam primogenitorum natura vid. Aur. Bull. tit. 7. Otto loc. cit. Tiraquell. de J. primog. qu. 3. n. 1. 6. Bachov. d. loc. Quid autem obtineat quando gemini nascuntur, & quis eorum primus lucem, viderit ignoratur? quid item de duobus simul excisò matris uterò editis statuendum, vid. prolixius ap. Tiraquell. qu. 17. 18.

II. Primogenituræ jus nihil iniquitatis alit, quia jure divino, Gen. 25. v. 31. seqq. vid. Johan. Selden. de success. ad LL. Ebr. eor. lib. 1. c. 5. naturæ, & gentium comprobatur, Ernest. Cothmann. vol. 4. conf. 3. n. 50. Joh. Volk. Bechmann. ad A. Bull. Exerc. 4. n. 53. imò jure feudali quoque videtur esse fundatum, per §. præterea Ducatus. 2. F. 55. Cothm. d. conf. 3. n. 51. Nic. Myler. de Princ. & Stat. J. R. G. præcip. jur. c. 21. etsi posterius negent Limn. J. Publ. lib. 4. c. 8. n. 120. Dn. Bechm. ad A. B. d. Exerc. 4. n. 57.

III. Ubi non est introductum jus primogenituræ, introduci quidem potest; sed quibus conditionibus, vid. ap. Limn. J. P. lib. 4. cap. 8. n. 121. Myler. d. cap. 21. p. m. 237.

IV. Alià olim ratione, secundum jus divinum, succedebant primogeniti, quàm hodiè: capiebant enim partem duplicem tantùm e. g. si novem erant filii, hereditate in decem partes divisà, primogenitus totius quintam capiebat, cæteri singulas decimas partes, vid. Joh. Selden. d. c. 5. Hodiè Principes primogeniti in universum Ducatum succedunt, relicto tantummodò ultragenitis, unde vivant, quod vulgò Appennagium, quasi Abbannung vocatur, Germ. eint Abfindung / Tiraquell. de J. Primogen. qu. 5. Add. omninò Nic. Myler. d. cap. 21. & seq. Speidel. in voc. Abgefundene Herren.

V. Pertinet primogenituræ jus non solum ad Electorum familias, Aur. Bull.

Bull. t. 7. § 28. sed etiam ad aliorum Princeipum: quemadmodum e. gt. de hoc Mecklenburgico Ducatu constat inter alios multos, de quibus Reinkingk. de R. Sec. lib. 1. cl. 4. cap. 17. n. 34. Limn. J. P. lib. 4. cap. 8. n. 113. Myler. d. cap. 21 Inter privatos autem non valere, ne per pactum quidem, ut primogenitus solus succedat, statuit Tiraquell. de Jur. Primog. qu. 6. n. 22. quod si confirmetur ejusmodi pactum à Principe, s. superiore, utique inter privatos etiam hoc jus introduci posse autumo; ita tamen, ut ceteris indigentibus liberis alimenta præstentur, vid. Didac. Covarruv. in lib. IV. Decret. cap. 8. §. 6. n. 6. Reinkingk. lib. 2. cl. 2. cap. 10. n. 6. 7.

VI. Nec Pater primogenitum jure primogenituræ privare, nec primogenitus, qui habet liberos, juri huic, in suorum præjudicium renunciare potest: ratio est, quia primogenitus succedit jure proprio, beneficio naturæ & legis; non patris: nemo autem alterius juri præjudicium creare debet, vid. Tiraquell. de jure primog. qu. 26. n. 5. Reinkingk. de R. Sec. l. 1. cl. 4. c. 17. n. 72. Myler. d. cap. 21. Bechm. ad A. B. Exerc. 4. n. 58.

Seçt. VII.

De successione Dominorum, qui habent homines proprios.

Thef. I.

Dominis, qui habent homines proprios, *seibei gene Leute* / ex bonis hujusmodi hominum (habitæ tamen etiam ratione liberorum, si adsunt) debetur legitima: quam pro cujusque loci consuetudine, vel semis, vel triens, vel quadrans absolvit, *Mev. ad J. Lub. lib. 1. tit. 3. art. 2. n. 31. Struv. Exerc. 40. th. 74.* nonnunquam jumentum, vel pecus, *das beste Haupt/dictum Hauptfall, vel vestem optimam, Gewandfall/ præcipere Dominum ex hereditate hominis proprii, testatur Besold. thes. pract. voc. Hauptrecht/ Wehner. Observ. pract. verb. Hauptfalle / Struv. d. th. 74.*

II. De reliquis bonis liberè testari possunt proprii homines, *Mynsing. cent. 2. obs. 23. Just. Mejer. colleg. Argent. de Stat. hom. th. 17. 18. Struv. Exerc. 40. th. 72.* exceptis tamen, præter legitimam, etiam instrumentis, (quæ acceperunt à Domino) vocatis vulgò *die Hoffwehrung/* quippe quæ semper fundi Domini esse censentur, cum ea Dominus comparare rustico teneatur, teste *Mev. ad Jus Lub. lib. 1. tit. 3. art. 2. n. 29.* At hanc testandi libertatem propriis hominibus concedi quidam putant, si inter homines ejusdem conditionis, & loci Domini sui testentur, sin extraneos instituere velint, non item permitti, ut testamentum faciant, *Mynsing. d. obs. 23. Anton. Fab. Cod. l. 7. t. 17. §. d. 31. n. 17. Georg. Schulz / Synops. Instit. quib. non est perm. fac. test.*

III. Si ab intestato moriantur homines proprii, non relictis heredibus legitimis, in universa illorum bona succedunt Domini, *Mynsing. d. obs. 23. Just. Meier. Colleg. Argent. d. th. 18. Mev. ad J. Lub. lib. 1. t. 3. art. 2. n. 30.*

IV. Cæterum, uti in omnibus, ita maximè in his quoque cujusque loci consuetudo servanda, vid. *Mynsing. d. obs. 23.* Hinc multa singularia de Sabaudia consuetudine, hac in materia reperias apud *Anton. Fab. Cod. l. 6. t. 30. d. 2. §. l. 7. t. 1. passim.* Ubi hujusmodi homines *conditionis taliabilis* vocantur.

B

Seçt.

Sect. VIII.
De successione Peregrinorum.

Thef. I.

Peregrini olim habebantur, qui non erant Cives Romani, l. 6. §. 2. ff. de hered. inst. Dion. Gothofr. ad l. 1. C. eod. Just. Meier. Colleg. Argent. de stat. bom. th. 31. & hi ne ex testamento quidem civis Romani succedere poterant, d. l. 1. C. de hered. Inst. l. 6. §. 2. ff. eod. quod tamen correctum esse quidam putant, arg. auct. omnes peregrini. C. com. de success. vid. Struv. Exerc. 33. th. 3. Georg. Schulz. S. Inst. de success. fisci, lit. I.

II. Hodie peregrinorum appellatione non tantum exteri planè, sed etiam ejusdem Principis, vel Magistratus subditi in diversis tamen curiis, & civitatibus habitantes veniunt, teste Georg. Schulz. l. cit. hi succedunt quidem: sed tenentur (secundum consuetudinem totius ferme Germaniæ, Joh. Köppen, dec. 5. n. 1. Nic. Myler. de Princ. & Stat. J. R. G. præc. jur. cap. 63. p. 531.) per jus detractionis, (vulgo Nachsteuer/ Abfahrt/ Abzug/ in March. Brandenburg. Abschoß/ Köppen, loc. cit. Lambert Distelmeier. Consuet. March. part. 3. t. 8. dictum) certam portionem fisco loci, ubi defunctus civis fuit, relinquere, per R. A. de a. 1555. §. wo aber 1594. §. und soviel. At verò excipi ab hoc detrahendi onere liberos, parentes, Professores, & item alias personas privilegiatas, communiter statuunt Doctores, vid. Berlich. concl. 52. n. 23. seqq. Carpzov. J. E. p. 3. c. 38. d. 19. n. 11. Mev. ad Jus Lub. p. 2. tit. 2. art. 4. n. 19. Myler. loc. cit. Georg. Schulz. Synops. Inst. de success. fisci lit. I. nisi huic deroget statutum, & consuetudo contraria; quam in nostris civitatibus invahisse, ait Mev. l. cit. n. ult. & in Marchiâ quoq; statutò cautum esse, ut de parentum etiam, & liberorum hereditatibus quindena detrahatur, vid. apud Distelmeier. d. tit. 8. & ibid. in additt. Joachim. Scheplitz.

III. Inprimis notandum hic statutum Lubecense, quò mulier peregrina Civi Lubecensi nupta, quando, sine prole decedente conjuge, rursus emigratura est, præter illa, quæ marito attulit, auferre ex civitate nihil potest, retinentibus bona reliqua hereditibus mariti. vid. Mev. ad J. Lub. p. 2. t. 2. art. 4. ubi hac occasione refert, secundum communem opinionem posse, & solere nonnunquam introduci statutum, per quod foemina nupta extra territorium, neq; ab intestato, neq; ex testamento succedere debeat.

IV. Peregrini morituri testari olim non poterant, per l. 8. l. 12. ff. qui test. fac. poss. hodie testandi jus ipsis datum per auct. omnes peregrini. C. comm. de success. Dion. Gothofr. ad l. 1. C. de hered. Inst. Just. Meier. Colleg. arg. qui test. fac. poss. th. 7. n. 3. Struv. Exerc. 32. th. 7.

V. Si ab intestato moriantur peregrini, heredes habent legitimos, per d. auct. omnes peregrini. C. comm. de success.

VI. Sed quaritur, cujusnam loci jura sequi debeamus, peregrino ab intestato decedente? an quæ obtinent in domicili loco, an verò, ubi diem suum obiit peregrinus? Resp. Distinguitur inter mobilia & immobilia: in mobilibus attenduntur jura ejus loci, ubi domicilium habuit defunctus: quod autem attinet immobilia, in ea succeditur secundum jura loci ubi sita sunt, vid. Coler. de proc. execut. p. 1. c. 3. num. m. 230. Carpz. jurispr. for. p. 3. c. 12. Joh. Köppen dec. 31. n. 15. seqq. Mev. ad I. Lub. p. 2. t. 2. art. 10. n. 8. Struv. Exerc. 38. th. 44. Reinkingk. de R. S. l. 2. c. 1. n. 20, 21.

VII. Testa-

VII. Testamentum peregrinus, secundum solemnitates, quæ adhibentur in loco, in quo moratur, rectè condit, ita, ut ubique valeat. vid. Gail. *lib. 2. obs. 123. n. 2.* Carpz. *l. for. p. 3. c. 6. d. 12.* Joach. Schnobel. *ad ff. disp. 1. tb. 11.* ubicunque tandem bona sita sint de quibus testatus est peregrinus, Mynsing. *cent. 5. obs. 20. n. 4. seqq.* Gail. *loc. cit. Köp. pen, dec. 45. n. 3. seqq.* Reinkingk. *de R. Sec. lib. 2. cl. 2. c. 10. n. 10. 11.* qui *n. 12.* hanc limitationem addit: *nisi statutum circa solemnitatem testandi speciatim quid disponens solas personas respiciat, non etiam locum.* Itaque privilegium, rusticis, per *Lul. C. de test. concessum,* nihil quidquam ad alios ruri viventes pertinere putat, cum Bart. *ad d. l. f. C. de testam.* At verò, quamvis ego limitationem hanc facilè admittam, tamen, quod exemplum de rustico testamento attinet, induci non possum, ut credam, *d. l. fin.* solum certas personas s. rusticos, non item *locum,* & ita alios quoque ruri degentes intelligere: facit mecum Dn. Struv. *Exerc. 32. tb. 17.* citans in id quoque Vasqu. & Dion. Gothofr. *ad l. f. C. de test.*

Sect. IX.

De successione Judæorum.

Thef. I.

Judæi sibi invicem, tam ex testamento, quàm ab intestato, succedunt secundum leges Mosaicas, Schneidvv. *in Inst. de her. qu. ab int. defer. n. 9.* Reinkingk. *de R. Sec. l. 2. cl. 2. cap. 3. n. 10.* Nam licet inter Christianos vivant, Mosaicis tamen legibus reguntur, Didac. Covarruv. *in l. 4. Decret. c. 6. §. 10 n. 7.* sed non in prohibitis, Schneidvv. *in d. tit. Inst. de hered. quæ ab intest. def. n. 10.* Wehner. *præf. obs. verb. Juden.*

I. Hinc testamenta à Judæis condita valere, adhibitis duobus testibus, per legem Mosis, putat cum Nattà Reinkingk. *loc. cit.* cæterùm quomodo interdium tantùm non noctu, ritè fiat heredis institutio legitima apud Ebræos, & singularia quædam, de exheredationibus & institutionibus, vid. ap. Joh. Selden. *de success. ad LL. Ebræorum c. 24.* de successione ab intestato vide Eundem per *tor. d. inct. & speciatim filiam excludi à filio in successione Patris per Num. c. 17. statuit Schneid. d. n. 9.* An autem eadem per omnia adhuc obtineant inter Judæos, ex ipsis discere omnium optimè poterit, cujus ea scire interest.

II. Hodiè Judæi non solum ex suorum, sed etiam Christianorum testamento capere possunt: habentur enim pro civibus Romanis, teste Mynsing. *cent. 5. obs. 6.* imò communi jure Romano vivere dicuntur, *l. 8. C. de Judæis & Cælic. Dan. Otto J. Publ. c. 19. p. m. 457.* & ut singulis Judæis legetur, nusquam prohiberi, ait Carpzov. *juris pr. for. p. 3. c. 13. d. 36. n. 1.*

IV. Attamen collegiis Judæorum legari non posse, constat ex *l. 1. C. de Jud. & Cælic.* & hanc communem esse Dd. sententiam, vid. *Syntagm. comm. opin. l. 1. tit. 16. n. 2.* Ratio est, quia collegiis illicitis legata non debentur, *l. collegium. 8. C. de hered. Instit.* verùm licita esse dixeris, cum tolerantur in Imperio R. *l. Christiani 6. C. de pagan.* Limn. *J. P. l. 3. c. 2. n. 13. seqq.* Reinkingk. *de R. sec. l. 2. cl. 2. c. 3. n. 14.* Respondet Carpz. *d. def. 36. fin.* tolerantiam non esse eandem cum adprobatione, & confirmatione: cum igitur non adprobentur Judæorum collegia, denegari ipsis jure merito successione ex testamento Christianorum. Quid? quod in dubium vocari videas, an rectè tolerantur.

B 2

Vid

Vid. Limn. J.P. lib. 3. c. 2. n. 42. qui Judæos nec recipiendos esse, nec tolerandos arbitrat. Contrarium tamen statuunt alii, sed quibus conditionibus, vid. ap. Eundem. 7. 28. seqq. Reinkingk d. n. 14. Bechm. ad A. B. Exerc. 5. n. 60. seqq.

Sect. X.

De pacto circa futuram successionem, in genere.

Thef. I.

OMnium primò hic notandum distingui omninò debere inter pactum, quò de futurà hereditate agitur, vel res singularis alicui, post mortem promittentis, jure successionis, capienda defertur: & illud pactum, quò quis omni successionis mentione remotà, alteri bona sua offert ita, ut post mortem offerentis demùm, ab herede ejusdè, pactum impleatur, & bona promissa alteri concedantur. Hoc enim pactum valere, nullus dubito, per *l. un. C. ut ad. & ab hered. & contr. hered. incip. §. post mortem 13. Inst. de inutil. stipul. l. 11. C. de contrab. & commit. stip. consentit Andr. Gail. l. 2. obs. 126. n. 6. Bartholom. Musculus de success. convent. & anom. class. 1. memb. 1. concl. 3. lit. I Ernest. Cothm vol. 3. conf. 44. n. 21. & vol. 1. conf. 8. n. 99. Carpov. J. for. p. 2. c. 35. d. 21. Mev. ad I. Lub. part. 2. t. 1. n. 37. seqq. qui hujus distinctionis neglectum maximos errores peperisse ait. Illud autem pactum an roboris aliquid habeat, nostrum jam erit inquirere: nam hoc, quod non est de successione, sed tantum de debito in futurum, seu post mortem debitoris solvendo, nunc prætermittimus. At unde in dubio casu colligas, utrum ex his duobus pactorum generibus initum sit, vid. ap. Carpov. J. for. p. 2. c. 35. def. 21. n. 7. seqq. Mev. d. tit. 1. n. 41. seqq. in primis n. 46. ubi docet: si de particularibus bonis convenit, hoc pactum præsumi: sin de omnibus bonis, illud, quod est de futurà successione. Hinc non est quod queratur cum aliis Rosenthal. J. Feud. cap. 7. concl. 25. n. 16. de distinctionis hujus falsitate, inquires: hac ratione: si tota hereditas inter vivos donetur, rem eodem recidere: nam hoc casu positò, id evenire non negamus: quia, uti diximus, sic de futurà successione pactum intervenisse præsumitur, licet mentio successionis nulla in spersa sit. Ex jam dictis colligitur etiam, pactum hoc, cum à successorio planè diversum esse probaverim, minis commodè referri in numerum conventionum successoriarum: id quod facit Musculus d. concl. 3. l. J. ut ut enim re, quem admodum ex hac ipsà thesi constat, ad surgat mihi; nomen tamen mutare non videtur, utens verbis: in modum contractus, cum sit contractus. ideoq; non fuerit opus id ponere in numerum pactorum successoriorum quæ valeant, cum, ut modò monui, inter successoria pacta numerari non debeat.*

II. Prius pactum, quod de futurà successione initur, & nostri nunc instituti est, sive sit affirmativum, de succedendo, sive negativum de non succedendo, jure civili effectū omni destituitur, *l. pactum quod. 15. l. ult. C. de pact. l. stipulatio. 61. ff. de V. O.* alios textus multos vid. ap. Muscul. de success. convent. d. concl. 3. lit. A. Mev. ad I. Lub. p. 2. tit. 1. n. 15. Henric. Bocer. class. 2. disp. 2. th. 12. Just. Meier. Colleg. Arg. de pact. th. 68. idq; ita, ut ne naturalem quidem obligationem inde nasci per *l. hereditas. 5. verb. nullo modo C. de pact. convent. l. pactum 15. verb. neq; ullam obligationem, C. de pact. cum Vasquio putet Mevius ad J. L. d. t. 1. n. 27. verbo: neq; per directum, inquit idem n. 35. neque*

neq; per obliquum, neq; principaliter, nec in consequentiam pactiones de succedendo jure civili valide ineuntur. Add. Andr. Tiraquell. de jure primogen. qu. 6. n. 26.

III. Exceptio occurrit (1) in militibus, quippe quibus de futurâ successione pacifici concessum est, l. 19. C. de pact. quem textum alii de mutuo solum, alii etiam de non mutuo pacto accipiunt, vid. Bocer. cl. 2. disp. 2. th. 13. Hier. Treutler. vol. 1. Disp. 6. th. 8. lit. B. Mev. ad J. Lub. p. 2. t. 1. n. 36. mihi placet prior opinio, de cætero quoque non indistinctè accipiendam esse d. l. 19. credenti. (2) in paciscentibus de hereditate tertii, e jusque incerti, per l. 3. §. 2. pro soc. scilicet si ita societas fiat: ut, si qua justa hereditas alterutri obvenierit, communis sit. Non movet nos quicquam Bachovius vol. 1. disp. 6. th. 8. lit. C. statuens, non rectè hujusmodi pactum speciem pactionum affirmativorum de succedendo vocari, quia ex eo nullo modo peti, aut vindicari possit hereditas. Nam licet ille, cui communio debetur, petere aut vindicare hereditatem immediatè non possit, sufficit tamen valere pactum, (quod reverà de futurâ hereditate licet non deferendâ, tamen communicandâ ictum est) ita, ut ille, cui delata hereditas socio suo per actionem pro socio hereditatem, & hinc actiones quoque hereditarias communicare teneatur d. l. 3. pr. ff. pro socio. quibus actionibus cessis, hereditatem utique petere potest cessionarius, vel actione directâ ex personâ cedentis, vel utili, ex personâ propriâ, per l. 54. pr. de hered. pet. l. 8. §. C. de hered. vel act. vend. vide sis ipsum Bachov. vol. 1. disp. 15. th. 5. lit. D. fin. His (3) adjicitur pactum, quod de tertii consentientis, & in voluntate, ad extremum usq; halitum perseverantis, hereditate intercedit, l. ult. C. de pactis. Cæterùm cum hoc pactum nihil agere videatur, quia tota res ex voluntate tertii pendeat, huc non pertinere fortè dixeris. Resp. id efficit hoc pactum, ut non teneatur tertius ille voluntatem suam ultimam aliò modò, e. g. per testamentum, exprimere, arg. d. l. ult. C. de pact. verb. pactiones servare. ejusdem opinionis esse videtur Muscul. d. concl. 3. lit. N. n. 79.

IV. Hæc de jure civili obtinent. Aliud suadet jus Canonicum, e. quamvis de pactis in 6to. Germania: consuetudo, & statuta, vid. Hier. Treutler. vol. 1. disp. 6. th. 8. Musc. d. concl. 3. lit. H. Mev. ad J. Lub. p. 2. t. 1. n. 60. Verùm credideris forsitan, hujusmodi pacta, quia contra bonos mores fiunt, per l. ult. C. de pact. nō posse per statutū vel consuetudinē introduci. Resp. Non sunt contra bonos mores per se, & naturaliter, Anton. Fab. Cod. l. 5. t. 9. d. 6. n. 8. Dn. Struv. Synt. J. Feud. c. 7. th. 5. n. 4. sed tantum per accidens, & civiliter, quia nimirum legislator id dixerit, ob rationes, quæ tū temporis fortè satis prægnantes fuere; sed hodiè tanti non sunt, ut per statutum, vel consuetudinem contrariam infirmari nequeant. Accedit, quod neque divino juri contraria sint hæc pacta, quin potius permissa esse videantur per exemplum Raguelis, de futurâ successione paciscentis cum Tobia genero suo. Tob. c. 8. v. ult. vid. Muscul. l. c. n. 58. seqq. Mev. d. t. 1. n. 108.

V. Hinc nata sunt (1) pacta conjugum dotalia de successione futurâ, (2) pacta de unionem prolium, (3) pacta quibus renunciata filia hereditati patris futura, (4) pacta confraternitatum, vid. Struv. Exerc. 38. th. 48. seqq. Mev. ad J. Lub. d. t. 1. n. 61. seqq. De singulis horum speciebus sectione singulâ agemus. De cætero pertinet huc etiam pactum Ganerbinatus (Ganerbschafft) vid. Struv. d. Exerc. 38. th. 48. & promissio feudi nondam aperti, [die Anwartsung] & item alia. vid. Muscul. d. conclus. 3. n. 87. seqq. Sed hæc ne nimis prolixi simus, alijs nunc meditanda relinquimus. S. &.

Hodie, per consuetudinem Germaniæ, & aliorum locorum, pactis dotalibus de mutua conjugum successione valide disponitur, Mynsing. cent. 2. obs. 33. Gail. l. 2. obs. 126 n. 3. Anton. Fab. Cod. l. 5. tit. 9. d. 6. Carpzov. jurispr. for. p. 2. c. 43. d. 2. n. 6. Mev. ad J. Lub. p. 2. t. 1. n. 99. qui n. 96. cum aliis, hujus rei hanc reddit rationem: quia ea pactiones de succedendo, vel non succedendo, que contractui alicui principali, per se iusto & legitimo velut sequela apponuntur, communiter probari solent. Enimverò hanc ego rationem naturalem magis arbitror esse, quàm civilem, seu ex æquâ consuetudine potius, quàm lege civili collectam. Ejusdem opinionis esse B. Merium, vel inde patet, quod jam antea n. 35. dixit, ne per consequentiam quidem valere secundum jus civile pactum de futura successione: cui ad stipulatur And. Tiraquell. de jure primogen. qu. 6. n. 26. vid. Sect. hujus differ. proximè preced. th. 2. sed & reliquos modò laudatos auctores ferè omnes mihi manù dare video, quia hæc pacta dotalia, quibus successione sibi invicem deferunt conjuges, per consuetudinè permessa esse adseverant. Neq; causam video, cur rationes, ob quas reliqua pacta successoria improbata sunt, (nempe: captatio mortis alienæ, l. de fidei commissio 11. C. de transact. metus tristissimè & periculosi eventus l. ult. C. de pact. & alia) in hoc pactorum genere minus virium habeant, quàm in cæteris? imò nec per consequentiam valere de jure civili pacta successoria, tantùm non expressè constat ex l. hereditas, 5. C. de pact. convent. l. pactum quod dotali 15. C. de pact.

II. Ut valeant hæc pacta dotalia, simul includi debent liberi: nam, si nulla horum mentio facta, tacitè inesse pactis viderur conditio: si sine liberis, & hinc per liberorum supervenientiam corruunt, liberos enim naturæ simul & parentum commune votum ad bona admittit, l. scripto 7 §. 1. ff. unde liberi. l. 50. D. de bon. Libertor. Carpz. jurispr. for. p. 2. c. 43. d. 13. add. Bocer. class. 2. disp. 2. t. 13. quod si expressè addita clausula: si sine liberis, & nascantur liberi, sed iidem, ante obitum utriusq; parentis, viam universæ carnis ingredientur, non solvi pacta dotalia, rectè tradit Carpzov. d. conf. 43. d. 14. aliud obtinet, si adjecta conditio: si liberi non fuerint nati. Per hanc enim conditionem, simul existiterint liberi, licet ante parentum mortem vitæ excedant, relaxantur pactorum vincula, per l. cum uxori 4. C. quando dies leg. ced. Carpzov. ib. def. 15.

III. Legitimè autem compositis hujus generis pactis dotalibus, alteri conjugum soli poenitere non licet arg. l. 1. pr. l. juris gentium. 7 §. ait Prator. 7 ff. de pact. Anton. Fab. Cod. l. 5. t. 9. d. 7. Ernest. Cothm. vol. 2. conf. 78. n. 162. seqq. Berlich. p. 2. concl. 51. n. 25. Carpz. l. for. p. 2. c. 43. d. 11. Hinc statut. Hamburg. part. 2. t. 11. art. 12. cautum sic est; Ob schon nach den aufgerichteten/ und vollenzogenen Ehezärtern/eins der Eheleute hernacher ein Testament oder disposition seines leyten Willens / wie es mit seinen nachgelassenen Güthern zu halten/verfassen lassen würde; so mag doch solch Testament den vollzogenen Ehezärtern in den Punkten/die denselben wörtlich seyn einverleibet/nichts præjudiciren.

IV. Et verò, quia non ut ultima voluntas valent hæc pacta, vid. Berlich. d. concl. 51. n. 25. neque septem testium numerum, neque alias testamentorum solennitates requiri statuit Anton. Fab. d. def. 7. n. 2. Mev. ad I. Lub. p. 2. t. 1. n. 100.

V. Ex jam dictis apertè liquet, diversa esse ab his pactis dotalibus testamenta conjugum reciproca. Hæc enim (quia vim ultimæ voluntatis habent, & supremæ voluntatis liber stilus, & licitum, quod iterum non redit, arbitrium esse debet, l. 1. C. de SS. Eccles.) legitimum numerum testium requirunt, & revocari omninò possunt; non solum ab utroque conjugum simul, sed etiam ab alterò tantùm, sive vivente alterò & invitò, sive jam mortuò: quamvis enim testamenta reciproca una eademque membrana scribi soleant, duo tamen sunt testamenta. vid. Mynsing. cent. 1. obs. 8. Gail. l. 2. obs. 117. n. 2. 3. Carpzov. J. for. p. 3. c. 2. d. 11. 12. & conf. 7. d. 21. n. 1. 2. Mev. ad I. Lub. p. 2. t. 1. n. 106.

De unione prolium.

Unio prolium (vocata aliàs: pariatio, parificatio, conjunctio prolium, German. die Einfindschafft &c. vid. Iust. Meier. Colleg. Argent. lib. 1. tit. 7. th. 67. addit.) quod successione quidem effectum attinet, de jure civili est prohibita: id quod ex iis, quæ in genere de pacto successorio differui, haut obscurè constat. Quamvis nec quoad alios effectus (puta patriam potestatem, quam

quam vitricus in privignos & privignas acquirit, & dignitatem vitrici, quæ privignis accedit ex hac parificatione, teste Bocer. *class. 1. disp. 12. th. 13. 14.*) jure civili expressè probetur. quin potius per consuetudinem introductam esse parificationem rectè statuit Gail. *l. 2. obs. 125. pr. Muscul. de success. consent. memb. 3. n. 4.* Bocer. *d. disp. 12. th. 2* at quænam solennitates requirantur potissimum, ut valeat conjunctio prolium, docet Jacob. Rickius *de unione prol. cap. 6.* Gail. *d. obs. 125. n. 5.* Bocer. *th. 3.*

II. Magna tamen intercedit inter unionem prolium, & adoptionem ad finitas, vid. Rickius *de un. prol. c. 9. Muscul. n. 16. seqq.* ita, ut non solum ex hac ad illam argumenta duci à Dd. sæpius videas; sed etiam ubi actum de adoptione est, statim jungi à plerisque hanc de unione prolium materiam tanquam ad finem, constet, vid. Treutler. *vol. 1. disp. 2. th. 11.* Bocer. *class. 1. disp. 11. 12.* Just. Meier. *colleg. Argent. lib. 1. t. 7. th. 67* Struv. *Exerc. 3. th. 66.* & alii multi. Cognationem hinc esse quandam dico: non enim in omnibus convenit unio prolium cum adoptione; imò in quibus à similitudine recedat, vid. ap. Rick. *d. cap. 9. Muscul. n. 29. seqq.*

III. Hinc, sicuti adoptivus filius ab intestato succedit patri adoptivo, s. *sed hodie 2. Inst. de adopt. s. sed ea omnia. 14. inst. de hered. quæ ab intest. def. l. penult. §. 1. vers. Et ideò C. de adopt. ita proles unita in unientis s. factitii parentis hereditatem succedit ab intestato, vid. *Conf. Moguntin. de unione prol. s. in Krassé solcher.* quippè quam constitutionem in Camerâ Imperiali confirmatam esse, & cum aliis multis consentire docet Gail. *lib. 2. obs. 125. n. 7.* Barthol. *Muscul. de success. consent. membr. 3. n. 57. 58.**

IV. Et, vice versa, decedentibus liberis parificatis succedere parentes factitios unâ cum fratribus & sororibus defunctorum naturalibus, docet eadem constitutio Moguntin. h. v. *her wiederumb / ob der gemachten Kinder eins oder mehr mit Todt abgingen / sollen (gemachte) Vater und Mutter als rechte und natürliche Erben solche Kinder / neben derselben ehelichen und natürlichen Geschwistern und deren Kindern / vermäßig der Recht / und Landgewonheit / erben.*

V. Non autem ad alios pertinet hæc successio, ita ut ne parificati quidem liberi sibi invicem succedant, nisi id speciatim per pactum, præcedente causæ cognitione, adjectum unioi sit, *d. Conf. Mogunt. s. die succession & s. gemachte Kinder.* Rick. *de un. prol. c. 6. n. 46. seqq. Muscul. d. memb. 3. n. 85.*

VI. Successuri igitur liberi uniti parentibus factitiis, conferre debent bona sua paterna, vel materna, *Muscul. n. 12.* Excipitur (1) portio bonorum iis tanquam præcipua relicta ob bonorū inæqualitatem, (2) peculium adventitium vivente patre factitio acquisitum, (3) peculium ea strenge vel quasi, vid. *Conf. Moguntin. h. v.* In Krassé solcher *Einkindschaft / ob Vater oder Mutter mit Todt abgehen / sollen die gemachte Kinder ihren voraus / und alle Güter die bey Leben ihrer angenommenen Vater und Mutter denselben Kindern von ihren Gesippen angestorben / oder sonst durch Testament / Donation, oder einigen andern Titel und Anfußt angefallen / und zugestanden wehren / zu vor nehmen / und folgens den gemachten Vater und Mutter / wie andere derselben natürliche / und Eheiche Kinder / erben.* Add. Rick. *de un. prol. c. 5. n. 1.* *Muscul. n. 132. seq. Bocer. class. 1. disp. 11. th. 6.* Hier. Treutler. *vol. 1. disp. 2. th. 11. lit. f.*

VII. Denique notandum hic, prolem unitam non solum ab intestato, sed etiam ex testamento succedere parenti factitio: nam per unionem prolium non adimitur parentibus receptitiis testandi libertas; modò ne in magnum alterutrius matrimonii liberorum damnum fiat testamentum, vid. Bocer. *d. disp. 12. th. 20. 21.* Mev. *ad. 7. Lub. p. 2. tit. 1. n. 114. 115.* & alii ab his laudati. Nec, addita hæc limitatione, dissentienti rationem video; cum uniens bonorum uniti proprietatem ita adquirat, ut etiam vivens alienare illa validè possit, teste Rickio *de un. prol. cap. 8. n. 10.* *Muscul. n. 139.*

Seçt. XIII.

De hereditatis renunciatione filiarum.

Thes. I.

PACTUM, quò filia, certa pecuniæ quantitate pro dote accepta, hereditati paternæ renunciat, jure civili omnino improbatum, *l. fin. ff. de suis & leg. hered. l. pactum dotali 3. C. de collation.*

II. Sed de jure Canonico aliud obtinet: hoc enim renunciationi filiarum pondus addit, si juramento firmetur, *c. quàmvis 2. de pact. in 6to.*

III. Jus

III. Jus Canonicum hac in re sequitur Germaniæ consuetudo, de quâ vid. Barthol. Muscul. de success. convent. memb. 2. conclus. 4. n. 109. Treutler vol. 1. disp. 6. th. 8.

IV. Quamvis non ubiq; opus juramento sit. apud Saxones enim vel absq; sacramento renunciare filiabus licet; modò coram iudice fiat renunciatio, & testibus adhibitis. Sed hæc extra Electoratum: nam in Electoratu juramentum requiritur. Barthol. Muscul. d. memb. 2. n. 197. Berlich. p. 2. conclus. 43. n. 5. Carpzov. J. for. p. 2. c. 35. d. 6. imò ubi consuetudo non efflagitat speciatim juramentum, ibi injuratas quoque renunciaciones defendi posse existimat Muscul. n. 200. Add. Carpzov. d. c. 35. d. 8. n. 1. Bach. vol. 1. disp. 13. th. 14. lit. C & D. fin.

V. Quod si igitur jurandum renuncianti est, sufficere verba: An Eidesstatt/ir:bey meinen Treue und Glauben/beym Wort der Wahrheit/putat cum aliis Coler. de process. ex:cut. p. 1. c. 10. n. m. 246. Carpz. J. for. p. 2. c. 36. d. 8. Mev. ad I. Lub. p. 2. t. 1. n. 84. illustribus autem personis, & nobilibus pro juramento sunt vocabula: bey Fürstlichen/Herrlichen/oder Adeltichen Ehren/Mynsing. cent. 1. obs. 17. Gail. l. 2. obs. 59. Coler. d. c. 10. n. m. 251. Muscul. n. 204. Carpz. I. for. p. 2. c. 36. d. 9. Mev. d. t. 1. n. 85. Sed hæc ita, nisi consuetudo aliqua ad formam renunciacionis solenne juramentum requirat, Carpzov. p. 2. c. 16. d. 6. n. 13. const. 36. d. 8. n. 3. d. 9. n. 2. disp. de pact. confrat. Sax. Class. lib. 29. n. 114. Hinc illustribus fœminis paternæ hereditati renunciaturis, altero nuptiarum die, prælegi nunquam solere certam juramenti formam, quam illæ expressis verbis confirmant, hoc modo: ea, quæ mihi prælecta sunt, jure servabo, ut me DEVS adjuvet per Christum, Amen. Docet Joh. Köppen part. 2. decis. 1. n. 19. fin.

VI. Præter juramentum à filia præstandum requiritur etiam, ut dos congrua constituatur, c. quambis de pact. 6. Barthol. Muscul. de success. convent. memb. 2. n. 106.

VII. At congruam dotem non respectu legitimæ, vel hereditatis paternæ, cui renunciatur; sed pro facultate patrimonii, quod tempore elocationis; & renunciacionis pater habet, & promariti dignitate, & consuetudine loci æstimandam statuit, Anton. Fabr. Cod. l. 3. t. 19. def. 20. seq. Musc. d. memb. 2. n. 212. Berlich. p. 2. conclus. 43. n. 42. Carpz. I. for. p. 2. c. 35. d. 5. n. 3. ut non desint, qui omninò hic rationem legitimæ habendam esse putant, vid. Gail. l. 2. obs. 147. n. 6. 7. Treutl. vol. 1. disp. 6. th. 8. lit. E. G. Sed his respondet Muscul. d. memb. 2. n. 213. seq. & in quibus differat dos à legitima, vid. ap. Anton. Fabr. Cod. lib. 3. t. 19. d. 19.

VIII. Non solum jurari, & dotem legitimam constitui; sed edoceri quoq; mulierem jura sua oportet secundum Barthol. Muscul. de success. convent. memb. 2. concl. 7. t. 1. n. 372.

IX. Factâ autem legitimè renunciacione, filia ne ad supplementum quidem legitimæ agere potest, arg. c. quambis de pact. in 6to h. v. dose contenta nullum. consentit Didac. Covarruv. in rel. d. c. quambis part. 3. s. 3. n. 3. Jacob Menoch. de arbitr. jud. l. 2. cas. 149. n. 13. Andr. Fachin. contro. jur. l. 3. cap. 25. Muscul. d. conclus. 7. n. 284. seqq. cum aliis multis ab his laudatis. Dissent. Hier. Treutler. vol. 1. disp. 6. th. 8. lit. G. Berlich. part. 2. conclus. 43. n. 48. & alii, statuentes, nisi in specie renunciatur legitimæ, eam esse implendam; renunciacionem enim generalem non sufficere, per l. si quando s. c. generaliter C. de inoffic. testam. sed hunc textum nihil obstare probat. Andr. Fachin. loc. cit. præterea Berlich. d. n. 48. juramentum, ait, non posse duos effectus simul operari, hoc autem fieri, si nostra opinio, quam sibi contrariam dicit, approbetur; & quidem primum effectum esse, quod actum renunciativum, jure civili improbatum; valeat; alterum, quod legitimæ intelligatur renunciatum. Verùm Resp. 1. vehementer dubito de veritate dicti: quod juramentum non possit duos effectus simul operari; neque verò omninò adfurgit huic adfero Andr. Gail: (quod tamen credit Berlichius) is enim l. 2. obs. 4. 20. n. 11. unum juramentum, inquit, non potest supplere duos defectus; jam, quis non videt, aliud esse, supplere defectus, aliud operari effectus. 2. si vel maxime tribuam aliquid ea noni Berlichii de duplici effectû, non tamen invenio hic effectum duplicem. Nam unicus effectus hic est valor pacti jure civili improbatum, id est obligatio; quæ pro objecto habet id (quod alterum effectum esse autumat Berlichius) quod legitimæ intelligatur renunciatum. Reliqua servamus consueti. Hoc addo solum pro firmanda mea sententia, non opus fore Patri, ut filiarum renunciacionem efflagitet, imò renunciacionem vix, ulli bono esse, si legitimæ non intelligatur

renunciatum: quid si enim testamento relinquat pater legitimam filiam utiq; eam contenta esse debet. Et huc videretur quoq; respicere Bachovius *vol. 1. disp. 6. th. 8. lit. G. pr. contrarium*, inquiring, *rebt defenditur contra Treutl. cum praesertim aliis pater jure communi legitimam reliquit, filiam à ceteris omnibus bonis excludere possit.*

X. Imò non rescinditur hæc renunciatio, etiamsi ultra dimidium læsa sit filia, & facultates parentis postea auctæ, per *c. quambis de pact. 6. h. v. nullum ad bona paterna regressum haberet. vid. Barthol. Muscul. de success. convent. d. conclus. 7. n. 303. seqq. n. 343. seq. Bachov. d. th. 8. lit. G. ad verba: An rescindantur; & ita obtinet hodiè in foro Saxonico, per Nov. Augusti p. 2. const. 35. vid. Berlich. p. 2. concl. 43. n. 13. Carpz 1. for. p. 2. c. 35. d. 4. sed probè notandum, me accipere hinc læsionem eam, quæ non est profecta à malo principio: nam si vis aut dolus juratæ renunciacioni causam dedit, utiq; rescinditur, *d. c. quambis de pact. in 6to.* cum verò in gravissimâ læsione præsumatur vulgò vis, vel dolus intervenisse, Mynsing. *cent. 5. obs. 59. n. ult. And. Gail. lib. 2. obs. 147. n. 8.* hinc tot lites super hac re inter Doctores ortæ sunt; ita, ut maxima pars rescinderdam esse renunciacionem statuat, ob læsionem enormissimam, vid. Didac. Covarruv. *in relect. c. quambis de pact. 6to. part. 3. §. 4. n. 5. seqq. Mynsing. d. obs. 59. n. 3. And. Fachin. controvers. jur. l. 2. c. 69. Joh. Köppen p. 2. decis. 1. n. 25. Berlich. d. conclus. 43. n. 22.* Cæterùm si in veram horum mentem inquiras, videbis, tantùm non omnes ob dolum præsumtum rescindendam renunciacionem putare: ideoq; nec me, nec eos, qui mecum faciunt, ipsis omninò contradicere; sed hoc velle nos, quod non absolutè dicendum sit, *ob læsionem gravissimam debere rescindi renunciacionem.* Verùm addenda limitatio: *nisi vim, vel dolu abesse constet.**

XI. Interim non negavero, renunciacionem filiarum esse in numero eorum, quæ odiosa vocatur; ideoq; strictè explicandâ, Gail. *l. 2. obs. 148. n. 12. Anton. Fab. Cod. l. 5. tit. 9. d. 10. n. 4. Muscul. d. conclus. 7. n. 353. Berlich. p. 2. concl. 43. n. 10. Bachov. vol. 1. disp. 6. th. 8. lit. G. ad verba: Alia questio est.*

XII. Hinc non obest filia renunciatio, quò minus à patre instituta succedere ex testamento possit, arg. *c. cum inter 2. X. de renunciat. Didac. Covarruv. ad c. quambis de pact. 6to. init. n. 10. Mynsing. cent. 2. obs. 7. Gail. l. 2. obs. 148. n. 11. Muscul. d. conclus. 7. n. 365. Berlich. p. 2. concl. 43. n. 7. seq. idem obtinet, etiamsi pactu cum patre fecerit renuncians in favorè fratru vel sororum: nò autem si cù ipsis fratribus consentiente patre pactiõnem iniiit in renunciacionem hereditatis paternæ, vid. Didac. Covarruv. *loc. cit. n. 11.**

XIII. Nec ad hereditatem alius personæ, quàm cui in specie renunciatum, pactio extenditur in de filia renuncians paternæ hereditati, non item excluditur à maternâ, Andr. Gail. *l. 2. obs. 148. n. 12. Anton. Fab. Cod. l. 5. tit. 9. d. 10.* neq; à fraterna, licet in ea nihil aliud sit, quàm quod ex successione parentis frater accepit, Gail. *d. n. 12. Muscul. d. conclus. 7. l. E. n. 353. seq. Berlich. d. conclus. 43. n. 10.*

XIV. Nec feudum comprehendit renunciatio; nisi renunciatum feudo in specie, vel feudum merè hereditarium sit. Nam appellatione hereditatis, vel bonorum generali feuda non veniunt, arg. *§. in generali 2. F. 26. Rosenth. de l. feud. cap. 9. concl. 13. n. 7. seqq. in primis n. 15. 16. Barthol. Muscul. de success. convent. concl. 7. n. 361.*

XV. Nec filia renuncians præjudicium parit liberis suis, hi enim, si mater ante obitum avi, cujus hereditati renunciatum, decedat, utiq; admittendi sunt ad successionem avi: quia si mater renuncians mortua est, nepotes jure proprio succedunt, per *l. si abus 2. C. de liber. prater: alteri autè juri mater renunciacione sua nocere non potest, c. quambis de pact. 6to. fin. h. v. nec redundet in alterius detrimentum Didac. Covarruv. in relect. ad d. c. quambis part. 3. §. 2. n. 4. And. Fachin. controvers. l. 3. c. 23. Anton. Fab. Cod. l. 2. tit. 3. def. 1. 14. Hier. Treutl. vol. 1. disp. 6. lit. G. Bachov. h. ad verba: illud hoc loco. Berlich. p. 2. concl. 43. n. 16. Ex his ipsis dissentientium quoq; argumenta cognosces. Et, ne brevitatæ fines egredi videar, ad lectiõnem ultimam conversus, remitto lectorem ad Auctores laudatos, ex quibus ipsi de pluribus fiet satis: & speciatim quoque de renunciacionibus filiorum.*

SECT. XIII.

De pacto confraternitatis illustrium familiarum.

Thes. I.

PACTUM confraternitatis, sive Erbverbrüderung / non est idem cum pacto confederationis, sive Erbteilingung; illud enim pro objecto habet successionem, & defensionem, hoc, adiutorium mutuum tantum; cum belli, tum pacis tempore præstandu, Linn. *de j. publ. l. 4. c. 8. n. 126. Bened. Carpz. dissert. de pact. confrat. Sam. Hass. l. 1. §. 13. seqq. V. Vehner. obs. pract. hoc. Erbteilingung. Joh. Volk. Bechmann.*

Bechmann. *ad A. Bul. Exerc. 9. n. 16.* Hinc ista tanquam diversi generis pacta separatim inierunt
inter sese Serenissimi Saxoniae Duces, & Hassiae Landgravii; cumq; *10 1614. d. 31. Martii*, pactū con-
federationis, *der Erbvereinigung* renovaretur, die proximē sequenti, *1. Apr.* renovatio quoq; con-
fraternitatis, *der Erbverbrüderung*/suscepta, teste *Carpz. d. n. 23. §. n. 28.* Instrumenta foederis utri-
usq; integra legas apud *Limn. d. c. 8. n. 25. §. 162.* & brevī quasi tabellā exhibita ap. *Carpz. d. dissert. th. 14. 15.* Interim non negavero vocem *Erbvereinigung* admittere significationem generalē, & specia-
lem; ita, ut in genere comprehendat *die Erbverbrüderung* / *§. Erbvereinigung* in specie sic dictā, vid.
Limn. de J. publ. d. n. 126. ideoq; minū commodē confederationis insinulari à *Carpz. d. diff. th. 10. n. 19.*
eos autumo, qui pactum Confraternitatis quoq; per vocabulum *Erbvereinigung* expriment, in
quibus, præter illos, quos *Carpzovius* ipse laudavit, est *Andr. Gail. lib. 2. obs. 127. n. 2. Mev. ad l.*
Lub. part. tit. 1. n. 17. Nicol. Myler. de Princ. & Stat. I. R. G. præc. jurib. cap. 25. pr.


II. Valent pacta Confraternitatis (de quib; misō confederationis pactō, jam nobis sermo est)
per consuetudinem Germaniæ, & aliarum Provinciarum, *Rosenth. I. feud. c. 7. concl. 25. gl. lit. f. fin.*
Andr. Gail. l. 2. obs. 127. n. 1. Theod. Reink. de Reg. sec. l. 1. class. 4. c. 18. n. 4. Carpz. dissert. de pacto Confr.
Sax. Hass. th. 39. n. 44. Myler. d. c. 25. p. m. 268. non autem jure civili, quia de futurā successione agunt
quamvis de hoc quoq; jure defendi pacta hujusmodi posse credant *Gail. d. n. 1. §. 9. Carpz. d. diff.*
th. 42. §. jurispr. for. p. 2. c. 35. d. 25. n. 1. §. alii: idq; jure militari per *h. g. C. de pactis:* Cum Principes
Imperii semper militare dicātur Imperatori & Imperio, sed obstant hic ipsa *d. l. 19. C. de pact. verba*
ad discrimē prælii pergentes. Neq; verò obloquuntur vocabula instrumenti pacti Confraternitatis
Sax. Hass. inserta: Als solches jure publico militari, und sonst zu Recht geschēhē seu oder mag. Nam (1)
nō ero absurdus, si credidero, eum, qui instrumentū hoc formavit, cū aliis erravisse, (2) ut maxi-
mē firmetur hodiē pacta confraternitatū jure militari; nō tamē inde sequitur, idē lege civili cau-
tū esse. Cæterū quia satis est, per consuetudinē probari pacta nostra, nō est, quod hic sim; multi.


III. Distingui solent pacta confraternitatis in ambilatera, & unilatera, vid. *Joh. Volk. Bechmā.*
ad A. B. Exerc. 9. n. 16. illis defertur mutua successio, his non mutua, sed alteri paciscentiū tantū
in horum exemplum adduci videas pactum Brandeburgenses inter & duces Pomeraniæ olim in itē,
quippē quod non erat reciprocum; sed ita compositum, ut Pomerana stirpe mascula extincta *Mar-*
chio Brandeburgensis succederet, hanc versa vice. Et hoc jure Elector Brandeburg. tenet jam ulte-
riorem Pomeraniam, ceteriorem enim partem Sveciæ Regem obtinere, constat per *Pacif. Osnabrug.*
art. 10. 11. similis conditionis fuit pactum Hassiæ Landgravios inter, & Comites Kattimelibocenses
quondam factum. De his notanda imprimis, quæ habet *Joh. Limn. de l. P. l. 4. cap. 8. n. 175. 176.*
Carpzov. dissert. de pacto Confr. Sax. Hass. th. 36. fin. §. 37.


IV. In præcipuis pacti confraternitatis requisitis est confirmatio Imperatoris; hæc enim, (ut
stringat cōventio paciscentes) omninō necessaria est, *Gail. l. 2. obs. 127. n. 5. 6. Rosenth. I. feud. c. 7. concl.*
25. gl. f. fin. Reink. de R. S. l. 1. class. 4. c. 18. n. 4. Carpz. d. dissert. th. 33. Myler. de Princ. & Stat. I. R. G. c. 25.
p. m. 271. aliud iniis, quæ nō sunt feuda Imperii, obtinere quidā putant, vid. *Gail. d. n. 6. Rosenth. loc.*
cil. Interim notandum hic est, modernum Imperatorē in capitulatione sua *art. 6. fin.* confirmasse
in genere pacta confraternitatum ea, quæ ante capitulationem composita sunt inter Electores,
Principes & alios Imperii status. Inde sequitur, pacta, si qua sunt, quæ ob solum consensus Cæsareī
defectū ante capitulationem valere nō potuerint, jam, post eam sumpsisse vires. Sed si imposterū
novas confraternitates inire velint Principes, an Imperator eas sol9, absq; consensu Electorū, con-
firmare possit, fortē dubita veris, per *Capitul. Imper. Caroli V. & sequentium Imp. art. wann auch*
sehen dem Reich. Verū hanc capitulationem non a dimere potestatem confirmandi pactū confrat-
ernitatis sine Electorum consensu, statuit *Carpz. dissert. de pacto confrat. Sax. Hass. th. 57. fin.* De aliis
huj9 pacti requisitis, de consensu scil. subditorum, *der Landstände* / adhibendo, & item de portione
quadā libera relinquenda, ut de ea testamentum fieri possit, vid. *Myler. d. c. 25. p. m. 271. seq. §. alii.*

V. Quānā bona comprehendat, & quæ excludat pactum aliquod confraternitatis, ex ipsis cō-
ventionis articulis omnīū optimē cognoscere licet. In specie de pacto confraternitatis *Sax. Hass.*
vid. *Carpz. d. dissert. th. 57. seq.* Cæterū an hoc pactum Electorum quoq; adiciat, vid. ap. *Eund.*
d. dissert. th. 58. 59. Joh. Volk. Bechmā. ad A. B. Exerc. 9. n. 17. seqq. inhærentes negativæ.

Addideram thesin de effectu pacti; sed pagina prohibet. *V. Carpzov. d. dissert. th. 60. seq. & alii*
S. D. G.









rario adversario reddi, habuerit, vel in
quàm æquum erat, hunc condemnaverit
ctum in majores, sententiâ gravato benefi
pellationis competit, *l. ult. & ad eam Dd.
prov. non est necess. Lanfr. in aur. pract. c. XI.
Obs. 22.*


XL.

Silentio prætermittere nolo, an sent
per expensis lata sit interlocutoria, an de
prius placet *Sichard. ad l. 16. C. de jud. poste
ro d. l. th. 71. Ego cum Asinio §. 32. c. 17. & A
i. §. socius. n. 6. ff. de usur. distinguo, ajiens, c
sim latam esse interlocutoriam, insertam
definitivæ (quod fit ut plurimum) aut ea
quentem, hujus nomine insigniendam,*

XLI.

Hactenus pro re natâ explicitum dedin
modo litigator & damnum & impensas li
re adversario suo cogatur: sed cum inter
oneretur hac refusione, consequens est, ut
gamus eos maximè notabiles casus, & quid
mo digito quasiq; per indicem, Effugit
gulariter condemnationem incubantem ce
calumniatorum is, qui justam litigandi
habuit *d. l. 78. §. 2. ff. de Legat. II. l. cum 79. ff
Nov. 82. c. 10. c. quoniam x. de probat. ne qu
statuto simpliciter edicente, à Victo Victori
litis esse restituendos, in eos condemnan
tiente Baldo ad l. 3. C. de fr. & lit. exp. Zasio ad
n. 22. C. de jud. Vmmio disp. ad process. jur.
n. 29.*

D



the scale towards document

est.

ceptiones
ndo Vi-
non re-
tur sol-
expen-
as.

032